

CAP. III. v. 1, 2.

H A B A K U K I.

v. 1. *Oratio Habakuki Prophetæ, secundum carmina errantia (cantanda.)*

v. 2. *Domine audi vi famam tuam (E) obstupui. Domine opus tuum in proximis annis revivifica, in proximis annis iterum notum fac (illud); in ira misericordiæ recorderis.*

Secundum carmina errantia. Hebr. על שגיונות *secundum Schigionoth*. Occurrit hæc vox Pf. VII. 1. *Schigaion Davidis, quod cecinit Domino, propter verba Chus filii Femini.* Ex quo colligitur, canticum illud appellatum esse Siggaion, quia a Davide sonis errantibus cantatum. Hoc loco vero legimus, quod oratio Habakuki cantata sit על *secundum Schigionoth*, in plurali, i. e. secundum illam melodiam, qua Siggaion cantatur. Vox ipsa descendit a שגה *erravit, oberravit* quia canticum sonis errantibus & vagis est cantatum. Variæ sunt Eruditorum sententiæ de sensu genuino vocis *Sigjionoth*. Clarissimus *Irbovius in Conjectaneis de Psalmorum Titulis*, anno 1728. editis, p. 83. explicat vocem de *angustiis*. Derivat eam a *Schaga*, quæ Chaldæis est *defecit*, vertitque titulum nostri cantici: *Precatio Habacuci prophetæ de vel super angustiis vel necessitatibus*. Doctissimus *Augustin. Calmet in Dissertatione de Instrumentis Musicis Hebræorum* putat: Siggaion esse canticum consolatorium in dolore, ac si diceret carmen triste vel elegiacum. Addit ille ex *Tevenotii itineribus apud Turcas superesse instrumenta & cantica saltato-*

Cc